

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XV.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

EPISTOLAE XV.

ARGVMENTVM.

Prima pars epistolas Pompeium vituperat, Caesarem laudat. orto enim ciuili bello, tutiorem partem, non honestiorem, Coelius elegerat: ut re ipsa comprobaret, quod scripserat epistola proxima, his verbis: Illud te non arbitror fugere, quin homines in dissensione domestica debeant, quamdiu ciuilitate sine armis certetur, honestiorem sequi partem: ubi ad bellum et castra ventum sit, firmiorem; et id melius statuere, quod tutius sit. Subiungit de sua cupiditate conueniendi et alloquendi Ciceronis: de itinere ad Alpes: de Domitio, Caesaris hospite, interfecto. Scripsit autem hanc epistolam anno sequenti post superiores, id est Lentulo et Marcello coss. Meminit enim in extrema epistola de Domitio Ahenobarbo, Corfinii a Caesare capto, et dimisso.

EXPLANATIO.

[*Ineptiorem*] Qui nihil prudenter, nihil strenue agat. et sane belli ciuilis initio multa Pompeius peccauit, sed illud maxime, quod urbem reliquit, dissentiens Cicerone, qui scripsit haec ad Tironem lib. 16. epist. 12. *Urbem reliquimus: quam sapienter, aut quam fortiter, nihil attinet disputare.* Et ad Marcellum lib. 4. epist. 7. *Idem etiam illa vidi, neque te consilium ciuilis belli ita gerendi, neque copias Cn. Pompeii, nec genus exercitus, probare, semperque summe dissidere. Qua in sententia me quoque fuisse, memoria tenere te arbitror.* Ad Atticum autem lib. 7. epist. 13. *ducem ἀσφαλήντων*, id est imperitum militandi, vocat Pompeium, et saepe queritur de urbe relicta.

[*Tantas turbas*]. Is enim rempublicam perturbauit, cum ea Caesari conaretur eripere, quae ut ei tribuerentur, idem in secundo tertioque consulatu laborauerat atque effecerat. Tumultum illum domesticum, et Cicero turbas appellauit lib. 16. epist. 11.

[*Tam nuxax*] Contemnens enim Caesarem eiusque legiones, dixerat id, quod Plutarchus litteris mandauit: *Cum terram Italiae pede pulsa, scatebunt pedum equitumque copiae.* quod cum non praestitisset, allato nuncio de Caesaris aduentu, omnibus in urbe trepidantibus, Faunius ad Pompeium conuersus, nuna, inquit, terram pede pulsa, et, quas promissisti, copias coge.

[*Acriorem in rebus gerendis*] Summam Caesaris in omnibus bellis vigilantiam ac celeritatem vel inimici eius laudare cogebantur: et Cicero ipse, cum Pompeio faueret, Caesari esset infensus, tamen illud scripsit ad Atticum lib. 8. epist. 9. *Hoc reus horribili vigilantia, celeritate, diligentia est.* Et lib. 7. ad eundem epist. 3. *Hoc video, cum homine audacissimo paratissimoque negotium esse.* Ad Tironem autem lib. 16. epist. 11. *Nunquam improbi ciues habuerunt paratiorem ducem.*

[*In victoria temperatiorem*] Hoc dicit, quia Caesar, Corfinio capto, omni-

omnibus pepercerat, in iis Domitio Ahenobarbo, inimicissimo suo: quod ante demonstratum est. Plutarchus, Appianus, Dio, ipse Caesar lib. I. de bell. ciu. c. 23. et alii.

Durissimis et frigidissimis locis] Circa Corfinium, in Pelignorum regione situm.

Taeterrima hieme] Quid hieme taetrius, ob imbres, niues, procelas, frigora, viarum difficultates, agri vastationem?

Ambulando] Pompeianorum notat ignauiam; cum Caesaris milites bellum, quasi ludendo, ambulando confecerint.

Confecerunt] Loquitur de bello Corfiniensi. nam Pompeius, nondum victus, Brundisium se cum exercitu contulerat.

Malis orbiculatis] Optimo alimento. Laudantur a Varrone lib. I. de re rust. et Columella lib. 5. c. 10. et lib. 12. c. 45. Confirmat idem epist. 17. *Nostri valde depugnare, et facile algere et esurire consueverunt.*

Quid iam, inquis? ERN. *Iam, inquis, gloriose omnia*] Dices: iam vobis omnia gloriose successerunt.

Ad me nihil pertinet] Me nihil tangit, minime delectat. dixit enim: *si scias, quam sollicitus sim*: ne videatur optimatum causam, quam Cicero probabat, libenter oppugnare. ideoque subiungit: *quae tibi exponere, nisi coram, non possum.*

Expulisset ex Italia] Quod fecit. Caesaris autem nomen hic subaudiri, satis constat: vt lib. 6. epist. 19. *In qua ille se dedisse beneficium putabit.* et lib. 9. epist. 6.

Confectum] Pulsam Italia Pompeium.

Nisi si maluit] Quasi sit in Caesaris potestate, vel expellere Pompeium Italia, vel Brundisii maritimis terrestribusque copiis circumfedere.

Peream, si minima causa est] Peream, nisi maxima causa est.

Discupio] Vehementer cupio. Plautinum verbum, quo etiam Catullus vsus est.

Quod solet fieri] Qui enim vehementer amant inter se, tantam, adspectu mutuo, iucunditatem percipiunt, vt cetera saepe obliuiscantur omnia.

Sed tamen] Quamquam, ad urbem venire, tua maxime causa, discupiam, tamen casu quodam factum est, vt retro ad Alpes versus ire cogar.

Quodnam ob scelus] Quid ego commisi, quod est meum delictum, cur ire nunc, quo minime vellem, cogar? Quasi hoc peccati alicuius poena sit.

Ad Alpes versus] Ita veteres loquebantur. Caesar lib. 6. de bell. Gall. c. 33. *Partito exercitu, T. Labienum cum legionibus tribus ad Oceanum versus in eas partes, quae Menapios attingunt, proficisci iubet.* Sallustius in Iugurth. c. 58. *Interim Metellus cum acerrime rem gereret, clamorem hostilem ab tergo accepit: dein, conuerso equo, animaduertit, fugam ad se versus fieri.* Hirtius de bell. Afric. c. 8. *C. Sallustium Crispum praetorem ad Cercinam insulam versus, quam aduersarii tenebant, cum parte nauium ire iubet.* Liuius lib. I. c. 18. *In lapide ad meridiem versus confedit.* Festus: *Eam partem Esquiliarum,*
Pp 4 *quae*

quae iacet ad Vicum patricium
versus.

Adeo] Ob eam causam. nec
enim aliud hic, adeo, videtur signi-
ficare.

Intemelii ERN. Intemelii] Inte-
melium opidum Plinius citra Al-
pes constituit, et inter Ligurum
gentes nominat, lib. 3. c. 5.

Verna] Olim verna: nunc au-
tem Intemelii cum praesidio erat.
Vernae sunt serui, ex ancillis
nati.

Cum cohortibus ERN. Cohorti-
bus] Pro, cum cohortibus. Sic
enim interdum locutos esse veteres
animaduerti. Quidam legunt, cum
cohortibus: quibus fortasse assen-
titer, si, cum, in vlllo antiquo li-
bro reperirem. Sed additum for-
tasse a rudibus Latinae linguae,
quos offenderet minus observata
loquendi ratio. Exempli aliquot
afferam. Cicero Phil. 14. c. 10.
His viginti cohortibus, nullo equi-
tatu, Hirtius ipse aquilum quar-
tae legionis cum inferret, qua
nullius pulchriorem speciem im-
peratoris acceperimus, cum tribus
Antonii legionibus equitatuque con-
fixit. Livius lib. 1. c. 14. Egres-
sus omnibus copiis, partem mi-
litum locis circa densa obsita vir-
gulta obscuris subfidere in insidiis
iussit. Et lib. 41. c. 1. Eodem do-
cem navibus C. Furius, dumuir
navalis, venit. Et Q. Curtius lib. 4.
c. 1. Vachas peruenit, ubi exce-
pere eum Graecorum quattuor mil-
lia, quibus ad Euphratem contendit.

Domitii mali dant ERN. Se Do-
mitii mali dant] Videtur signifi-
care: Domitii omnes male se ha-
bent: quoniam et Domitius Ahe-
nobarbus paullo ante Corfinii cap-
tus erat a Caesare. Sed hoc lo-
quendi genus, se Domitii mali dant,
inusitatum et asperum est.

Quantum Psecade natus ERN.
Quantum ipse cadenatus] Ante
multos annos in omnibus vulgatis
libris legebatur, ipse catenatus.
Octavius Pantagathus, vir bonis
omnibus ob insignem probitatem
et doctrinam iure carissimus, cultus
a me semper optimi parentis loco,
legendum primus existimauit, Pse-
cade natus: ut significetur Bellie-
nus verna. Psecas enim ancilla
est: vernas autem eos esse, qui an-
cillis nascuntur, iam diximus. Si
Bellienus, ait Coelius, ancilla na-
tus, Domitium comprehendere et
strangulare non dubitauit: quid
Caesari, Venere prognato, in ve-
stro Domitio faciendum fuit? Com-
mendat igitur, ac valde probat Pant-
agathi opinionem antithetorum
gratia; (nam Coelius Coeliano illo
more, hoc est perargute, Psecade
natus, et Venere prognatus, oppo-
suit) confirmat veterum librorum
auctoritas, in quibus fere omnibus
est: ipse cadenatus: ut, vna detra-
cta litterula, i, suus loco nitor,
suaque reddatur integritas. De
Psecade si quis exempla quaerit lu-
venalem legat Sat. 6. v. 491. et
Ovidium lib. 5. Met. v. 172.